

grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ, qui non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis. Et quare tamen sicut arbores, non ut columnæ, aut aliud quid, neque stantes, sed ambulantes? Quia post curam Christi viderat, quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent; temporalem planationem germinis humani esse in hac vita mox videt quem curaverit Christus. Iteranda est ergo cura Christi, ut perfecti oculi futura certa, manentia videant et æterna. *Iterum*, inquit, *posuit manus super oculos ejus, et cepit videre: et restitutus est, ita ut clare videret omnia, et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris.* Aperiat jam spiritualis intelligentia, ut qui sit iste cæcus cognoscamus, et quare non sponte venit, sed ab aliis adducitur, et ducitur manu Christi, et educitur extra vicum, et alibi recipit visum, qui diu apud suos longam sui pertulera orbitatem: et exspuit in oculos ejus, et iteratur divinæ manus impositio, et cui videre extra domum datur, quid viderit, quomodo viderit, per quem viderit, suis dicere non donatur. Fratres, cæcus iste est Judæus, qui in Synagoga, hoc est, in perfidiæ domo

et in vico, hoc est, in conventu malignantium ignorantie cæcitate tenebatur, et sedebat oppressus. Hinc est quod non veniebat ad Christum, sed venit ad eum Christus, et apprehendit manum ejus, ut dono vocantis, non beneficio legis, non proprio curatum se gloriaretur arbitrio. Educit eum foras, ut in Ecclesia lucem fidei videat per libertatem gratiæ, qui sub legis velamine nil videbat. Imponit ei primum manum, ut videat transire umbram legis; ut sacerdotes, scribas, pharisæos, et figuram totam Judaicæ observantiæ videat velut arbores præterire, quæ ut in tempore, sic cum tempore senescunt, nascuntur, virescunt, florescunt, fructificant, pereunt, evanescent. Iterum imponit ei manum, ut resurgens non jam caduca videat sed æterna, et videat quidquid est divini luminis, honoris et gloriæ: sicut ille magnus ex ipsis Paulus, qui extra vicum et in via Judæus cecidit, ut resurgeret Christianus; et cæcatus est in lege (*Act. ix*), ut videret in gratia, sicut ab ipso perhibetur: *Nunc videmus in speculo et in ænigmate; tunc autem videbimus facie ad faciem (I Cor. xiii)*. Tunc quando quod sepultum est in morte, surget in vita, et quidquid satum est in contumelia, surget in gloria.

APPENDIX.

S. PETRI CHRYSOLOGI

RAVENNATENSIS ARCHIEPISCOPI

SERMONES VII,

A S. PATRE QUONDAM ABJUDICATI *.

SERMO I.

De oratione Dominica.

Accepistis auditum fidei, fratres charissimi, formam Dominicæ orationis audite. Christus breviter orare docet, qui cito vult postulata præstare: aut quid petentibus se non dabit, qui se ipsum non petentibus dedit? aut in respondendo quam faciet moram, qui in diota adis precibus vota supplicum sic prævenit? Hodie quod audituri estis stupent angeli, miratur cælum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura, ego dicere non audeo, tacere non possum. Deus det ut vos audire possitis et ego dicere. Quid est magis tremendum quod se dedit terris Deus, aut quod vos dat cælo; quod societatem carnis intrat ipse, aut quod vos facit divinitatis consortium intrare; quod mortem sumpsit ipse, aut quod vos resumit ex morte; quod ipse in vestra nascitur servitute, aut quod vos sibi gignit in liberos; quod suscipit paupertatem vestram, aut quod vos facit hæredes suos, sui unici cohæredes? Est utique terribilius quod terra trans-

fertur in cælum, homo deitate mutatur, servitutis sors dominationis jura sortitur. Sed hoc quamvis metuendum sit, tamen, quia causa non dicentem respicit, sed jubentem, accedamus, filii quo vocat charitas, trahit amor, invitat affectio, Deum Patrum viscera sentiant, vox personet, loquatur lingua, spiritus clamet. Totum quod in vobis est respondeat gratiæ, non timori; quia judicem mutavit in Patrem, amari voluit, non timeri.

Pater noster qui es in cælis (Matth. vi, 9; Luc. xi, 2). Hoc cum dicis, non sic habeas quasi non sit in terris; non sic accipias, quasi sit loco clausus qui claudit omnia; sed intellige esse sibi genus e cælo, cujus Pater habetur in cælo. Et age ut vivendo sancte sancto respondeas Patri. Dei Filium ille se probat qui vitiis non obscuratur humanis, qui divinis virtutibus elucescit.

Sanctificetur nomen tuum. Cujus genus sumus ejus censemur et nomine. Rogamus ergo ut nomen quod in se et per se sanctum est, sanctificetur in nobis, nomen enim Dei aut honoratur ex nostro actu, aut

* Vide, supra, col. 479, censuram omnium sermonum.

ex nostris actibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem: *Nomen Dei per vos blasphematur in gentibus* (Rom. II, 24).

Veniat regnum tuum. Et quando non regnavit Deus? Petimus ergo ut qui sibi regnavit, semper reget in nobis, ut et nos in illo regnare possimus. Regnavit, diabolus, regnavit peccatum, regnavit mors, et fuit diu captiva mortalitas. Petimus ergo ut regnante Deo pereat diabolus, deficiat peccatum, moriatur mors, captivitas captivetur, ut nos liberi perpetuam regnemus in vitam.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Hoc est regnum Dei quando in caelo et in terra Dei voluntas est sola, quando omnibus hominibus Deus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totus, juxta illud Apostoli, *ut sit Deus omnia et in omnibus nobis* (I Cor. xv).

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui secum nos fecit haereditas, qui nos... nomine sublimavit, qui nos suo et honore donavit et regno, ipse nos ut panem quotidianum postulemus addixit. In regno caelo inter munera divina quid quaerit paupertas humana? tam bonus, tam pius, tam largus Pater panem filiis non tamen postulatus indulget? Et ubi est illud: *Nolite solliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis, aut vestiamini* (Matth. vi, 31)? Hoc Pater jubet, quod prohibet cogitare; quid tenemus? Coelestis Pater coelestem panem coelestis Filii ut postulemus hortatur; ipse dixit: *Ego sum panis qui de caelo descendi* (Joan. vi, 51). Ipse est panis, qui satus in virgine fermentatus in carne, in passione confectus, fornace coctus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus coelestem cibum quotidie subministrat fidelibus.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Homo, sine peccato esse non potes; et vis semper dimitti tibi, totum dimitte semper; quantum vis dimitti tibi, dimitte tantum. Quoties vis dimitti, toties tu dimitte; immo quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo, intellige quia remittendo aliis tibi veniam tu dedisti.

Et ne nos inducas in tentationem. Quia in hoc saeculo est ipsa vitatentatio. *Tentatio*, inquit, *est vita hominis* (Job. vii, 1), rogamus ut nos nostro arbitrio non relinquat, sed in omni actu paterna nos pietate constringat, et in vitae tramite caelesti moderatione confirmet.

Sed libera nos a malo. A quo malo? A diabolo, quippe ex quo est omne malum. Rogamus nos liberari a malo, quia malo qui non caruerit, frui non po-

^a Hoc in loco delevimus vocem *est*, quae sententiam turbabat ante vocem *Deus*. Infra, ubi *qui nos nomine*, cum non nihil deesse intelligeremus, puncta adjecimus, quibus lector id nos non fugisse perspiceret.

^b Tot mendis scatent hae homiliae, quot ne perpicacissimus quidem unus ex conjectura tollere potest, quam obrem nihil hic nisi castigatum omnino lector expectet, nolim. Haud pauca quidem loco foede corrupta restituimus, sed de omnibus restituendis nec cogitavimus quidem; sunt enim nonnulla, quae nisi

A test bono. Si adhuc non nati, si adhuc in utero constituti panem petunt, expetunt regnum, quare sit quaestio quod semper Dei Filius in Dei Patris mysterium, et quod in Patre Deo Dei Filius fuerit? Quomodo humana ratione tractatur? Non est, non est humano modo divinitas aestimanda. Audistis Deum, nihil terrenum cogites, nihil humanum. Audisti Patrem Christi, hoc per substantiam crede; audisti Patrem tuum, hoc crede per gratiam. Ille esse Filius habuit semper, se esse Filium dedit modo. Sic ergo te filium scito, et servum te esse non nescias. Sic audi ad Christi similitudinem te reductum, ut semper Christo te cognoscas esse subjectum.

SERMO II.

De eadem.

Conditio mortalis, terrena compago, limosa substantia ad vitae pensa ac mortis incerto labore attrita, consumpta poenis, putredini pulveris subjecta natura capere non valet, credere pertimescit, quod hodie cogitur confiteri. Tantam donorum gratiam, ^b proximorum magnitudinem, munerum largitatem, fragilitas humana non potest invenire. Hoc reor ambiguum prophetam mentis intuitu praevidisse, dum tanto pavore concussus, et hujus, audito taliter exagitata tremore dixit: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua et expavi* (Habac. III, 2). *Auditum* timuit, non quia tunc servus Dominum suum sibi conservum reperit, et audivit in partem: vel quia mundi hujus fabricam elementis ita sibi dissonis consonantem contemplatus expavit; sed quia pietatis erga se tanta considerans, tunc opera admirationis tremore concussus est et pavore. *Consideravi* inquit, *opera tua et expavi*. Adoptatum se tunc expavit in filium, quando perdidit ipsius fiduciam servitutis. Denique ut sciatis hujus orationis, quam vobis hodie divinitas insinuat et infundit affectum, prophetam tunc auditu caelitus percepisse, hujus muneris quodammodo pavore solutum, quid iterum dixerit pervidete: *Custodivi me, inquit, et expavit venter meus, a voce obsecrationis labiorum meorum* (Ibid. 16),

Posteaquam divini muneris tantam senserat largitatem, custodivit se, ne se hostem, ne inimicum, ne latronem se iterum in paradiso sustineret: fit vigilantior, fit sollicitior sui custos, qui se post tantae rei jacturam coelestem thesaurum senserat reperisse, dicente Paulo: *Portamus hunc thesaurum in vasculis fictilibus* (II Cor. vii). *Custodivi me et expavit venter meus*. Ventrem cordis interna nominat haec propheta, quia sicut [venter] cibus, ita cor sensibus pascitur

ope ms. codicis emendari non possunt. Hic lego: *tantam gratiam Dei, donorum promissorum magn.* Infra edidimus *auditu*, ubi erat *auditus*: mox *conservum*, ubi legebatur *conversum*. Caetera mihi legenda videntur: *reperit et audivit Deum Patrum. Nec quis.*

^c Priorem vocem recte additam, esse nemo sanus negaverit. Mox ubi legitur: *ex hoc est exhortaturus* scedissimus librarii error ita emendari posse videtur: *exhorret obsecrationem?*

et repletur : *et expavit venter meus a voce obsecrationis labiorum meorum*. Si intellectus cordis fuderat ori vocem, labiis deberat verba, cur vota sua, cur desideria sua, cur.... ex hoc est exhortaturus? Expavit quia non suggestionis sui cordis, sed divini Spiritus loquebatur affatu. Audi Paulum dicentem : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem. Abba Pater (Gal. iv, 6)*; quod cum auditum ad interna transmitteret, tantum se meruisse mirabatur, et interna tota hominis pavebant, merito adjecit : *Et intravit tremor in ossa mea*, quia ipsius prophetæ viscera vexabantur, *et subtus me*, inquit, *commota est virtus mea*. Quid subtus me? quia unus ipse idemque homo rursus per gratiam jam levatus, jacebat subtus pristinam per naturam, nec virtutem celestem virtus poterat sustinere terrena. Jam ^a fumavit mons Sion cum laturus legem Deus descendit in montem: quid caro faceret, cum descendit Deus in carnem? Carnis gratiam collocaturus venit Pater, quia homo Deum, servus Dominum non ferebat. Et quia in verbis suis fidelis est qui dixit, *aperi os tuum, et implebo illud (Ps. lxxx, 11)*; aperite nunc ora vestra, ut ipse ea tali prece, tali repleat et clamore. Ubi sunt, quid de Dei promissione diffidunt? Ecce quam cito est fidei remunerata confessio; mox ut Deum unici Filii confessus es Patrem, tu ipse es Dei Patris adoptatus in filium, ut esses cæli hæres, qui paradisi exul habebaris et terræ. Et ideo nunc vocas : *Pater noster qui es in cælis*. Quia fuit tibi quondam Pater, qui te resolvit in limum, qui te ad claustra duxit et pertraxit inferni. Terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulveris non requirat, nihil in se vitii licere permittat, qui a Deo Patre celestem repetit ad naturam, ut qui se Dei filium credit actu, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tantigenitoris tendat injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Si nomen Christi cæcis visum, cursum claudit, defessis vario languore sanitatem, mortuis vitam, teque ipsum, homo, totamque sanctificat creaturam, quemadmodum tu ipsius nominis oras et ex postulas sanctitatem? Quia ab Christo vocatus es Christianus, et ideo supplicas ut prærogativa tanti nominis meritis in te subsequentibus roboretur.

Adveniat regnum tuum. Devotionem mandat, exigit desideria, vota perquirat ipse, qui ^b adventus sui vitam in sua continet potestate. Fidelis est ille miles, qui regis cui præsentiam sitit, et tot regni expetit et concupiscit triumphos. Sed hic petis ut tibi et in te adveniat regnaturus, in quo diabolus arcem, mors imperium, diu infernus gessit et tenuit potestatem. Oremus ergo, charissimi, ut Christus semper suo regnet in milite, ut miles semper suo triumphet in rege.

^a In editis *firmavit*, quo nihil est ineptius. Infra ubi : *repetit ad naturam*, præpositionem defendam censeo, nisi forte quis malit suspicari non nihil hic deesse ac legi oportere. *Celestem originem repetit ac naturam*.

^b Quin legi oporteat *viam*, haud valde dubio. Statim : *Decus regni expetit*, aut aliud quid simile malo,

A *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra*. Beatus dies ille qui terrenorum jungit, sociat et exæquat celestibus voluntatem, ut inter dispares substantias una eademque fiat voluntas. Hæc est fida, pax, inconcussa concordia, gratia perseverans, quia unius Domini ordinem naturam, familia per diversa voluntatum sita, una eademque reperitur et sensu.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post cæleste regnum panem quis postulet temporalem? sed quotidianum. Et inde vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare unde ex hoc ad perpetuum diem, et ipsam Christi perveniamus ad mensam. ut unde hic gustum sumpsimus, inde plenitudinem cibi totasque satietates capiamus.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quis sic petit (et) debita non relaxat, ille se etiam per quod orat accusat, qui sibi tantum donari postulat, remitti tantum, quantum ipse remittit, et donat ad placitum, Deum taliter invitat ad pactum; quantum ipse præstiterit alteri, tantum sibi exigat et ipse præstari. Dimittenda sunt autem, fratres, debita, non pecuniis solum, sed omnium causarum, culparum, criminum quidquid homo incurere potest. In his tibi cum incurrit alter, ignosce; fidus peccati sui petit veniam, qui peccanti libenter ignoscit.

Et ne nos inducas in tentationem. Hoc petere multis modis cogimur, fratres, ne fragilitas plus ausa, et de se temere præsumens, nihil virium suarum colligens in conflictu male cauta succumbat; deinde offensus Deus tradat tentationibus quos relinquit.

Sed libera nos a malo. Satis de se humiliter sentit, qui ut a malo per Deum liberetur implorat. Signate vos. Intelligite, filioli, quarta perfectorum, quanta fortium gloria sit et potestas, quando tanta virtus in ipso conceptu, tanta modestas aperitur in partu. Nondum natus Patrem vocat, sanctitatem postulat, regnum petit, Dat jura terris, terrenas celestibus exæquat voluntates, et laboribus pro futuris exigit jam devotus annonam, *Panem*, inquit, *quotidianum da nobis hodie*. Beati estis qui cœpistis ante pugnam vincere, ante triumphare quam vivere, ante ad Patris gremium, ante ad Patris promptuarium quam matris ad gremium pervenire; ante pastum gregis quam succum lactis invadere totum; ante victoriam sonare júbilo, (ante) vagitu respondere, quam cunarum (...) vere ut dixit Apostolus *infirmum Dei fortius est hominibus (1 Cor. 1, 15)*. At quis poterit tanti conceptus referre sacramentum, ubi virgo mater parit orbem quotidie, nec relinquit posteros ad laborem, sed a terreno germine præmittit ad gloriam?

SERMO III.

De eadem.

Omnia quæ divinitus dicta factaque referuntur,

quam quod e veteri editione servatum est, *et tot regni exp*. Mox edi curavimus *infernus gessit*. ubi erat : *infernus cessit*. Quæ sequuntur in versu : *Fiat voluntas tua*, aliis castiganda relinquimus, In reliqua homilia quid additum sit, lector ex solita nota intelliget.

sunt miraculo, sunt stupori, sunt pavenda mortalibus, ipsis etiam sunt cœlestibus tremenda. Sed nihil ita stupet cœlum, pavet terra, expavescit universa creatura, quam quod vos estis hodie nobis dicentibus audiri. Servus Dominum Patrem vocare audeat, judicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium, qui terrena perdidit existimat se Divinitatis hæredem. Sed audeamus, quia præsumptio dicentis non est, ubi auctoritas est jubentis. Ipse enim vos hodie dicere voluit, qui nos hodie docuit sic orare. Et quid mirum, si tunc homines Dei consecravit in filios, quando se hominibus dedit et apertavit in filium? Carnis tunc naturam transtulit in divinam, quando deitatem humanam detulit ad naturam. Tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit cohæredem, quando se participem reddidit terrenorum: aut homini negare quid amoris potuit, quid muneris, quid honoris, qui totum quod erat hominis et peccatum suscepit, et mortem? Aut quomodo hominem in suis prosperis non habebit, qui in adversis homini se fecit esse consortem? Homo, redi ad Deum sic amatus a Deo; et ad ipsius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad tuam deduxit injuriam; et voca Patrem fidens, quem tanto amore^a tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem,

Pater noster qui es in cœlis. Quod nondum natus Patrem vocat, nemo miretur. Deo nata sunt nascitura, futura facta sunt Deo. *Fecit, inquit, quæ futura sunt (Eccl. vi, 10).* Hinc est quod in utero suum Joannes sensit auctorem et exstat nuntius matri qui erat nescius vitæ. Hinc est quod Jacob ante legitur bellasse quam nasci, cœpit ante triumphare quam vivere. Hinc est quod jam sunt Deo qui sibi adhuc non sunt, quoniam electi estis ante constitutionem mundi. *Pater noster qui es in cœlis.* Non quod ille non sit in terra, sed ut tu per hoc germen esse noveris te cœleste, Et si te filium Dei tu fateris, vive quasi Dei filius, ut actu, vita, virtutibus, tanto possis respondere genitori.

Sanctificetur nomen tuum. Quia a Christo vocatus es Christianus, petis ut prærogativa tanti nominis sanctificetur in te, quia nomen Dei quod per se et sanctum sibi est, aut sanctificetur in nobis nostro actu, aut nostro actu blasphemetur in gentibus.

Adveniat regnum tuum. Ipse dicit: *Regnum Dei intra vos est (Luc. xvii, 21).* Si intra nos est, veniat quid oramus? est in fide, est in spe, est in expectatione, sed ut veniat jam precamur. Veniat autem nobis, non illi qui semper conregnat Patri suo, semper regnat in Patre, sed veniat nobis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (Matth. xxv, 34).* Dicimus *veniat regnum tuum*, ut sic Deus regnet in nobis, quatenus in nobis desinat mors regnare, desinat reguare pec-

^a Editum erat *tum probas*. Intra, in versu et *dimitte*, edidimus *si vis ipse*, ubi legebatur *suis ipse*. Sub finem etiam scripsimus: *ut preces quibus*, cum editum antea esset: *ut precibus quibus*. Statim au-

atum. *Regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad Moysem (Rom. v, 14).* Et alibi: *Non regaet peccatum in vestro mortali corpore (Ibid., 15).*

Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Nuncia terra multa sunt pro diaboli voluntate, pro sæculi nequitia, pro voluntate carnis. In cœlo vero fit nihil præter Domini voluntatem, Petimus ergo ut interempto diabolo, ut novo sæculo, ut mutato corpore, destructo mortis imperio, ut abolita dominatione peccati, in cœlo, et in terra, in Deo et hominibus, una Dei et eadem sit voluntas.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Post regnum cœleste, terrenum panem petere non jubemur, prohibente ipso cum dixit: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis (Matth. vi, 13).* Sed quia *ipse est panis qui de cœlo descendit (Joan. vi, 50)*, petimus et precamur ut ipsum panem, quem quotidie, id est, jugiter sumimus, in eternitate ad victum corporis mentisque capiamus.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Sic dicendo, homo, indulgentiæ modum, mensuram veniæ statuisti; et tu tibi dedisti, qui a Domino tantum tibi petis, quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte ergo delinquenti in te totum, si vis ipse de tuis nihil Domino debere delictis. In altero dimitte tibi, si vis ipse vindicem vitare sententiam.

Et ne nos inducas in tentationem. Deus neminem tentat, sicut scriptum est; sed tentare dicitur, cum contumaciter euntes ad tentationem laqueos delinquit. Sic Adam tentatoris incurrit insidias, dum sui præcepta deserit creatoris. Unde autem et a quo tentatur homo prodidit sic dicendo: *Sed libera nos a malo*; hoc est a diabolo, qui totius mali et auctor est et origo. Diabolus natura fuit cœlestis, nunc est nequitia spiritualis, ætate major sæculo, nocendi usque tritus, lædendi arte peritissimus. Unde non tam malus, sed malum dicitur, a quo est omne quod malum est. Hinc est quod propriis viribus homo liberari non potest carnalibus vinculis illigatus. Petendum est ergo nobis ut Deus nos a diabolo liberet, qui Christum terris, ut diabolum vinceret, commodavit. Clamet, clamet homo ad Deum, clamet: *Libera nos a malo*, ut a tanto malo, solo Christo vincente, liberemur.

Pater noster, qui es in cœlis. Orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam paucissimis in verbis ipse sibi, qui tibi est exorandus, induxit; ut ex hoc tu petendi sumas sensum. ut intellectum postulandi capias, mensuram colligas impetrandi, et brevi magisterio orandi latissimam capias disciplinam; simul quia ad amoris iudicium rex ipse officio functus est advocati, ut preces quibus responsurus erat ipse dictaret. Cunctatio ablata est tota promerendi, quando, ipsum selegit in precibus qui

ctorem suum non intellexerat Acherius, cum interpret legendum esse conjecit, ubi legitur: *a Patre Filius interprete.*

rogatur. Melius locum non habet, ubi a Patre filius A interprete desiderat quæ sancti sunt impetrare.

SERMO IV.

De eadem.

Fratres charissimi, qui vos donavit credere, ipse vos docuit et orare, et totam petendi formam paucis aptavit in verbis, quia cum Patrem postulat, multa preces filius non laborat. Sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita urget charitas dare genitorem. Pater ergo qui sponte præstat, non tam ut petatur, quantum quod petatur ostendit; ut Filius petendo justa placeat, qui potest stulta postulans displicere. Audite Patrem, et vos filios esse jam credite, ut quæ petieritis incunctanter impetrare possitis. Quid valeat fides, credulitas quid possit, sit quanta confessio, hodie monstratur in nobis. Ecce Trinitatis trina confessio in cœlestem sobolem de terrena vos sustulit servitute: ecce fides quæ Deum locuta est Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquirit; ecce vox quæ confessa est Dei Filium, vos Dei adoptavit in filios; ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamavit, de carnis substantia mortali in vitalem Spiritus substantiam vos mutavit. Quis pietatis tantæ dignus invenitur assertor? Deus Pater homines dignatur hæredes; Deus Filius non dedignatur servulos cohæredes; Deus Spiritus carnem consortem divinitati jurisdictione suscipit in supernis, Apostolo probante cum dicit: *Aut nescitis quia angelos judicabimus* (I Cor. vi, 3)?^a Vocate ergo Dominum Patrem, vosque, et si nondum natos, jam tamen designatos filios esse jam credite, et date operam quatenus sit vobis cœlestis vita, sint vobis divini mores, et forma deitatis tota vestra præferatur in Filium: quia cœlestis Pater respondentes generi filios muneribus ditat divinis, degenerantes ad pœnalem revocat servitute.

Pater noster qui es in cœlis. Succumberet conscientia servulis, terrena conditio solveretur, nisi nos ad hunc clamorem ipsius Patris auctoritas, ipsius Filii Spiritus excitaret, *Misit, ait, Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater* (Gal. iv, 6). Lassescit mens, caro deficit ad divina, nisi Deus quæ fieret jubet, impleat ipse qui jubet. Quando ausa est mortalitas vocare Patrem, nisi modo quando superna virtute homines animantur in terra? *Pater noster qui es in cœlis.* Homo, quid commune cum terris tibi, qui consistis tibi genus esse in cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena, quia si quid in se gesserit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœlesti generi intulisti injuriam.

Sanctificetur nomen tuum. Non petimus ut sanctificet nomen tuum Deus, quod sanctitate sua totam salvat et sanctificat creaturam. Fratres, hoc nomen est quod supernæ potestates pavent, quæ tremenda suscipiunt servitute; hoc nomen est quod fugat dæmo-

^a Sic edidimus, ubi erat *vocat ergo*. Mox in priori editione *qui cœlestis*.

^b Hic vocem *accessit*, quæ omnino supervacanea est, delevimus ante voculam *sic*. Infra *intra nos est fides* edidimus, ubi erat *fides*. Mox Acherius conjecit legendum *artibus*, ubi editum, *illudit arcis*.

nes; hoc solum nomen est quod absolvit animas diaboli feritate captivas; hoc nomen est quod mundo perduto dat salutem. Sed petimus ut nomen Dei actu sanctificetur in nobis. Nobis enim bene agentibus benedicatur nomen Dei, nobis male agentibus blasphematur. Audi Apostolum dicentem: *Nomen Dei blasphematur in gentibus* (Rom. ii, 24). Petimus ergo, petimus, ut quantum nomen Dei sanctum est, tantum nos ejus mereamur in nostris moribus sanctitatem.

Veniat regnum tuum. Quasi non semper fuerit sic regnum Christi ut veniat, nunc rogamus. Et ubi est illud regnum Dei? *Intra nos est*. Intra nos est fide, sed utre veniat supplicamus. Fratres quando diabolus vario nequitiarum genere multimoda arte fallendi rerum faciem turbat sensus hominum moresque confundit, sævit, idolis sacrilegis furit, fallit anguriis, divinatione mentitur, signis decipit, illudit artibus, spectaculis occupat, obsidet vitis, peccatis vulnerat, criminibus sauciat, desperatione prosternit, Christi regnum prolongat, et absentat a nobis. Petimus ergo ut veniat tempus quo, mali tanti auctore pereunte, mundus totus, creatura tota, totam solius Christi regnet, triumphet ad gloriam, et fiat quod sequitur.

Ut sicut in cœlo, ita et in terra. Una Domini voluntas sit terra, cœlum, vita Deus, tempus æternitas, patria requies, census innocentia, honos immortalitas, ^c furia castitas, Deus totum.

Addidit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Post paternitatem Dei, post divini nominis sanctitatem, post cœli regnum, quotidianum panem jubemur exposcere. Christus oblivioni non subjacet, Christus mandatis suis contraria non demandat. Ipse dicit: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis* (Matth. vi, 31). Sed quia est panis qui de cœlo descendit, qui legis et gratiæ molatus est in forma, qui crucis confectus est in farina, qui crucis confectus passione, qui magno pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersionis levamentum sustulit de sepulcro, qui cum divinitatis suæ calore conqueretur, ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cœlestem cibum ^d quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissione frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit et nutrit ad vitam; hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo in die perpetuo perfruamur.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Homo, penes te est potestas veniæ, in te est indulgentia ejus, tu tibi remissionis auctor es constitutus; gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo ut tibi misericordiæ factus es ipse mensura; quantum quæris misericordiam fac tantum.

^c Quid hoc sit, *furia castitas*, non satis intelligo; nec huic loco satis consultum arbitror, si legatur *luxuria castitas*.

^d In priori editione *quotidianis*. Infra ergo unum, lego ergo nunc.

Et ne nos inducas in tentationem. Tentatio est, fratres, species fallens, quæ prosperat in adversis, adversa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolosa deducit in lapsus. Petimus ergo ne peccatis impellentibus in tentationum fossas incidamus. Inducere autem Dominus dicitur currentes ad crimina eum relinquit.

Sed libera nos a malo. Hic malum mali designat auctorem, hoc est diabolum. Petimus ergo unum, ut munere hoc a malis omnibus cum malo careamus auctora.

Pater noster qui es in cælis. Nemo cum se filium clamat, manere se miretur in habitu servitutis. Ad divinum germen hodie designatus es, non promptus spem, non rem, non veris consecutum. Audi apostolum: *Spe salvi estis; spes autem quæ videtur non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus* (Rom. viii, 24). Hodie adoptionis est dies, hodie promissionis tempus est. Audi, crede, expecta; crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori; expecta parumper ut veniat, qui te diu sustinuit ut veniras; da illi inducias, sed promissori qui tibi quidquid erat debiti jam donavit. Ut qui tuâ fatigaria spe Dei? fide vivas. Agricola nunquam speraret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret; viator laborem prolixo itineris non subiret, nisi se ad destinata crederet pervenire; nauta maris non intraret incerta, si lueris sequentibus compensaturum discrimina non pensaret; miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret; filius paternæ dominationis tempora non duraret, si substantiæ paternæ non speraret hæredem. Et tu si jam filium Dei credis, juxta prophetam: *Expecta viriliter age, et confortetur cor tuum, sustine Dominum* (Psal. xvi, 20). Expecta ut hæredem Dei expectationis fide, et de virtute patientiæ consequaris. Audi apostolum: *Filius Dei sumus, sed nondum parati quid sumus. Cum apparuerit, similes ei erimus* (I Joan. iii, 2). Et iterum: *Vita nostra abscondita est cum Christo: cum apparuerit Christus vita vestra, et vos apparebitis in gloria* (Col. iii, 3). Fratres, beati sunt filii Dei, qui et hæreditatem omnium rerum possidebunt, et de excessu Patria luctuosa tempora non videbunt.

SERMO V.

De eadem.

Quod ego modo cum magna tremore dicturus sum, quod vos estis nunc terribiliter audituri, immo terribiliter vocaturi, stupent angeli; pavescunt supernæ virtutes, cælum non capit, sol non videt, terra non sustinet, tota non assequitur creature. Quid ad hæc

^a An non assumptus? mihi quidem ita videtur; et infra, ubi *sed promissori* legitur, nullo sensu legi oportere opinor se promittenti.

^b Hoc etiam corruptum est, sed ita, ut sine codicis ope restitui non possit, infra, *ut hæredem*, Acherius recte conjecit *ut hæreditatem*.

^c Legendum est profecto *posse dubitat*. Infra ubi

A mortale pectus? qui ad hæc mens hominis imbecilla? qui ad istud humani sensus angustiam? quid ad hæc humanæ vocis aura? quid ad istud humana lingua cito tacitura? Hoc Paulus invisibiliter cum vidisset, prodidit non prodendo dicens: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se* (I Cor. ii, 9). Hoc Isaias cum suo vix cæpisset auditu, adhuc hominem pervenire posse debet, ad auditum dicens: *Domine, quis credit auditui nostro* (Isa. lxxi, 1)? Hoc Jeremias cum divino concepisset auditu, partus superiorum sensuum sustinebat clamans: *Ventrem meum dolo et sensus cordis mei perturbati sunt* (Jerem. iv, 19). Hoc Habacue divino Spiritus perorabat afflatu cum dicit: *Custodivit me, et expavit venter meus a voce absecrationis labiorum meorum, et intravit tremor in ossa mea; et subtilis me commota est virtus mea* (Habac. ii, 16). Elevatus virtute Dei, sensit suam sub se succubuisse virtutem. Longum est super hoc sacramentum pavores prosequi et dinumerare sanctorum; tempus non sinit me dici in hoc timore dinumerari celestis partus impetus non potest tardare nascentium. Dico ergo, et vos in utero adhuc penetrati voce compello, provida exhortatione præmoneo, ut antequam videatis matrem, vocetis istius Patrem; ante blandimenta matris, Patris tendatis et festinetis ad regnum; ante Patris perveniat, ad panem, quam matris ad ubera pendeatis. Nec in vos quidquam sibi aut matris necessitas, aut ætatis tempora vindicent, sed in vobis totum divino, Patris totum celestis respondeat et occurrat auctorem.

Pater noster qui es in cælis. Hoc est, quod tremor hanc proferre, hoc est, quod neque celestium, neque terrestrium quemquam sinebat servitutis propriæ conditio suspicari, cæli et terræ, carnis et Dei repente tantum posse provenire commercium, ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in servum, servus verteret in filium, fieretque Divinitatis et humanitatis ineffabili modo una et sempiterna cognatio. Ad Divinitatis erga nos dignatio tanta est, ut scire nequeat quid potissimum mirari debeat creatura, utrum quod se Deus ad nostram deposuit servitutem, an quod nos ad suæ divinitatis repavit dignitatem. Hinc est quod homo, quod et divinitus ad creaturam tantum suo amore flammatur, quod adhuc in utero voce tua se adeptat in filium. . . . O vos beatorum quibus dominari datum est antequam nasci, ante regnare quam vivere, ante ad Dei Patriæ gloria pervenire, quam presapientiam propriæ vilitatis agnoscere. Ecclesia felix mater, quæ vos talis respicit, quæ cum virgo permanet, genuisse tantas vos et taliter se miratur.

Olim partes iste precedentibus designabatur exen-

dinumerari, Acherius in margine habet: forte *immorari*, Sed malim *dinumeranda* immorari.

^d Loco huic, quem scædum in modum corruptum esse facile quivis intelliget, sic nœdemur: *totum dicitur Patri, totum cælesti respondeat, et occurrat auctori in sequentibus: Hinc est quod, etc.* nonnulli est vitii, quod alii fortasse castigabunt.

plis. Hinc est quod Jacob et Esau gemini in utero A de primatus honore preliantur, retardant partus, nec ante lucem cupiunt videre quam vincere. Hinc est quod * Joannes exultat, et ante suo occurrit auctori, genitricis ex utero quam procedat. Et humana pigra sic ante Deo militant quam nocentur parentibus, quam vivant a seculo. Quid mirum, si Ecclesia divina germina, si Deus sua sobole in utero adhuc, quod est superni generis jam fatatur: *Pater noster qui es in caelis*. Stuper incurgit; Christus Dei Patris de partore matrem vocat, et fatetur in terra; et heres de matris utero Patrem vocat, et confitetur in caelis: *Pater noster qui es in caelis*. Quis te, heres, repente propevit gratis, quo te rapuit caelestis gratia, qua te rapuit caelestis natura, ut in carne et in terra positus adhuc et carnem jam necires et terram dicendo: *Pater noster qui es in caelis*. Qui ergo tanti Patris filium confitetur et credit respondeat vite generi, moribus Patri, et mente atque actu asserat quod caelestem concessus est per naturam.

Manifestetur nomen tuum. Cujus utique genus esse scipimus, ejus utique essemur et naminis. Et ideo petimus ut in nobis illius nominis sanctificatio perseveret honor et prerogativa nominis, quod sublimavit sic tanti genitoris caelestis.

Adveniat regnum tuum. Nos illi petimus cui quicquam deest nec defuit regnum, immo qui est sibi ipse regnum, totamque in se regni continet potestatem. Sed quis nos vult ad promissam regni sui gloriam pervenire, monet nos expetere omnibus hoc velle, in hoc vult nos totis mentibus inhiare. Quarta namque est temerarius ^b qui disautit, de genere ignarus est qui non audent, aestuat, anhelat, cum promissum intendit et perpendit ad regnum.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Tunc jam letum est caelum, tunc autem Dei mens una omnibus; tunc in Christo omnes et in omnibus Christus, quando omnes solius Dei sapient et faciunt voluntates; tunc omnes unum, immo unus omnes, quando Dei spiritus in omnibus vivit unus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sicut in psalmo: *Benedictus Dominus die quotidie* (Psal. lxxij, 22), ita hic *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quotidianum jugem dicimus. Jugis panis ille est, qui de caelo descendit: *Ego sum panis qui de caelo descendi*. Perfectae ergo beatitudinis est ille panis. *Hodie*, hoc est in presenti illius panis jam cibo vivere, ejus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. De supplicantiis partore veniens mons manat, et ad veniam refluet quidquid pietatis exuberat, et effundet in alterum, quando indulget sibi tantum, quantum alteri condonavit. *Dimitte nobis*

debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris Satis potest homo misericors, qui cum Deo de pietate configit, cum tantum sibi dari quantum dederit, quantum donaverit, tantum desiderat et donari. Homo, semper in partore tuo venia, si vis eximie non timere.

Et ne nos inducas in tentationem. Hae interpretatiōne non indigent, quia tentatio diaboli praevia et amara minister est, Quamdiu vero haec fragili continetur in corpore, necessario praecatur ut in nos ne tentationi pateat aditus, nec diabolo tribuatur accessus. *Sed libera nos a malo*: ipse autem Dominus noster Jesus Christus liberet nos a malo et perducatur ad omne bonum, qui vivit et regat Deus modo et semper per infinita secula seculorum. Amen.

* SERMO VI.

De verbis Evangelii Matth. xvii: *Hoc genus in nullo ejicitur, nisi oratione et jejunio*.

Adversus demonum nequitiam quae nobis Dominus aequa ostendit, debemus utique retinere. *Hoc, autem, genus in nullo ejicitur, nisi in oratione et jejunio* (Matth. xvii, 20). Haec cum plena fide exercenda, pietas est. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae praesentis et futurae (I Tim. iv, 8). Inspiciamus ergo utiliter orationis fructus et jejunii, quia ipsa sunt arma adversus improbas cogitationes. Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subicit. Jejunium eos facit contribulatum et humiliatum, quod Deus non spernit. Jejunium concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Jejunium verborum non amat, divitiarum superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, praestat homini seipsum intelligere quod est, infirmum et fragilem, atque dum ita se intelligit imbecillum, aptius virtute Dei adjuterium quaerit et accipit, quaerit autem per frequentes orationes et obsecrationes. Oratio quidem refectio est jejuniorum, et advocat gratiam Spiritus sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic et jejunium sine oratione non potest a quibusdam perfecte nutrire. Quid est autem oratio nisi ascensio animae de terrestribus ad caelestia, inquisitionis superarum, invisibilium desiderium? Abest disconsensio saecularium morum quibus premitur mens humana quotidie. Oratio conjunctio est Spiritui sancto: si tamen in oratione intentus sit animus, sicut clamat propheta: *Stetit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (Ps. lxxij, 2). Quid autem sitiendum sit, sequitur, *ut videat virtutem tuam* (Ibid., 3). Credite mihi, si ad videndam plenam virtutem Dei plene sitiat anima humanae substantiae, nec fastidio vieta dissimulet, replebitur adipe et pinguedine spirituali: et sitiens il-

* In prior editione, *Joanne exultante*, male. Statim, ubi *Deus sua sobole*, lego *Deo destinata soboles*.

^b Totum hunc locum sic restituo: *qui disputat de genere, ignis est qui non ardet, aestuat*. Infra, tunc autem Dei, lego *caelum, cum Dei*.

^c An exhibebit? si quis verbo *exuberandi* usum esse

hunc auctorem contendat, non equidem reluctabor, sed velim saltem legat *exuberabit*. Infra: *praevia et amara*; malim: *praevia mali, vel malorum*.

^d Exstat num. LXXIII in appendice operum D. Augustini, tom. V.

lam Dei visitationem sensu proprio cum fide clamabit : *Adhæsit anima mea post te, suscepit me dextera tua* (*Ibid.*, 9). Jejunium tollit inertiam, de animo impedimenta carnalia aufert. Oratio vero perseverans jungit Deo, atque ita gaudens assistere se Domino gloriatur. Adhærens autem anima Domino, incipit securitatem habere, et libertatem; nec pavores sustinet, nec timores. Suscepto autem tanto patrocínio dextere Dei, quomodo poterit noceri ab aliqua potestate, sicut scriptum est, quod nemo illud rapit de manu Patris (*Joan.* x, 19)? Hoc præstat jejunium, hoc præstat oratio.

^a SERMO VII.

De verbis Evangelii Joann. xiv : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

Domini vox est, fratres charissimi : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* xiv, 27). De pace dicturi, prius quæ pacis sint commoda videamus, Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimittas, superbos calcat, humiles amat, discordes

^a Exstat num. XCVII in appendice Operum D. Augustini ad calcem tom. V, ubi etiam repetitur fusior ex ms. Regio, et ex Colbertino. Eundem in lectoris commodum, ne huic novissimæ editioni aliquid deesse videatur, hoc loco apponere, bibliopolis placuit. Domini est ista vox : *Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis* (*Joan.* xiv, 27). De pace dicturi, prius quæ sint pacis commoda, audiamus. Est enim pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est enim, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimittas, superbos calcat, humiles amat, discordias sedat, inimicos concordat, placita cunctis. Non quærit alienum, nihil deputat suum. Docet amare, quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari : humilis omnibus, mitis est omnibus. In ipsa requies, in ipsa tranquillitas. Pax quæ exercetur in Christiano, consummatur in Christo. Hanc qui amaverit, Dei hæres est ; qui contempserit, Christo rebellis est. Dominus enim Christus ad Patrem remeans hæreditarium bonum, id est, pacem suam, suis cultoribus dereliquit, dicens : *Pacem meam do vobis, pacem dimitto vobis.* Hanc pacem qui acceperit, teneat ; qui perdiderit repetat ; qui amisit, exquirat. Quoniam qui in eadem pace inventus non fuerit, abdicatur a Patre, exhæredatur a Filio ; et evolutus et nudus, invenitur ab eodem Domino alienus. Respuet munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum : nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamento noluerit inservire. Pacem quam Christus dimisit, Christiane, amplectere ; hæreditati Dei ut cultor adhære, voluntatem Domini in te transfusam ostende. Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur (*Matth.* v, 9). Scriptum est *inimicis, scriptum est inimicis, filius esse nisi pacificus non potest ; inimicos abdicavit, qui pacificos filios fecit. Aut enim datam pacem, Christiane, conserva, aut gloriam tibi*

^A sedat, inimicos concordat, cunctis est placita. Non quærit alienum, nihil deputat suum ; docet amare quæ odisse non novit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo, qui accepit, teneat ; qui perdidit, repetat ; qui amisit, exquirat : quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur a Patre, exhæredatur a Filio, nihilominus a Spiritu sancto alienus efficitur. Respuet enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum ; nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui testamentum noluerit observare. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ ergo crimen est quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Quid tibi commune cum discordia, Christiane ? quid simultates amas, quod auctori pacis placere non potuit ? quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille, qui eas primus invenit ? Initio namque inimicitias in protoplastum dum serpens exeret, interficitur ; dum homini invidet, ipse prosternitur ; dum Adam cupit decipere, ipse primitus jugulatur. Quare aut Christi charitatem amplectere, Christiane, aut discordiæ auctori de similitudine operum ^b parem te esse cognosce.

^C salutis ablatam, si non amaveris pacem, cognosce. Non potest promissa Christi percipere, qui cum fratre noluerit concordari ; non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Si de nobis a Christo vicaria passio peteretur, et Filii Dei sanguis, qui pro nobis effusus est, ad pensandum nostro sanguine quaereretur ; quanta instantia vel officio fuerat festinandum, ut et jussa tantæ Majestatis expleres, et vicaria passione dependere gauderes, et pro morte vitam acquirere, et passione reciproca compensare ? At nunc quomodo poteris pro Christo animam ponere, qui pacem ab eodem delegatam nolueris conservare ? Contumaciæ crimen est, quod jubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatur declinare. Pax enim Christi est bonum ; discordia diaboli malum ; auctori respondet, qui de utroque alterutrum eligit. Quid tibi cum discordia, Christiane, quæ principem suum diabolum interemit ? Quid amas simultatem, quæ placere auctori non potuit ? Quid exerces inimicitias, quas evadere non potuit nec ille qui eas primus invenit ? Inimicitias in protoplasto dum serpens exercet, interficitur ; dum homini invidet, ipse prosternitur ; dum Adam decipit, jugulatur. At contra Christus tantum homini charitate adhæsit, tantum eum unica benignitate amavit, ut eum commendaret Patri, sociaret sibi, dum carnem propter ipsum descendens induit. Scriptum est : Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* ii, 24). Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Non cadat in Christianum quæ cadit in diabolum, quia Christianum condecet conservare quod eum constat a Domino didicisse. Quæ de re autem Christi charitatem amplecti debemus, ut cum illo in æterna beatitudine vivere possimus. Amen.

^D ^b Mss. omnes addunt vocem ipsius, sed ali post verbum operum, alii post particulam te.